



Per.
Lat
020

LATIN IFJÚSÁGI FOLYÓIRAT. LATEINISCHE JUGENDZEITSCHRIFT. REVUE LATINE DE LA JEUNESSE.

Administrator, ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER
REGÉNYI, Budapest, VII., Barcsay-u. 5. (tel: 1-422-15).

Moderator, ad quem manuscripta mittantur: I. WAGNER DR.
Budapest, XI., Lágymányosi-ulca 20. (telephon: 2-686-34).

Prodit Budapestini quotannis decies. Pretium subnotationis an. 1936—37. in Hungaria 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Gyus aerarii comparsorum postalis in Hungaria: 57.292, in Austria: A—37.880. Subnotatores earum gentium, unde simplex pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulis «Coupon réponse international» appellatis, quarum si quis decem in epistola ad administratorem mittit, pretium annum solvit. Quinis exemplaribus sextum gratuito additur.




Statuae in Museo Vaticano. (pag. 2.)

Quibusnam e fontibus cognoscamus vitam Romanorum?

Jámbor-Kemenes: Római régiségtan, Budapest, 1932, paginae 3—4 in sermonem Latinum versae a Th. R. OSB.

Vitam publicam et privatam antiquissimorum Romanorum pluribus e fontibus legere et cognoscere possumus, qui valde copiosam materiam praebent.

Qui fontes sunt: 1. **Litterae**¹ **Romanae** copiosae. Et poësis et litterae doctrinarum sunt fontes notitiarum² ad res Romanas pertinen-



Ruinae amphitheatri (Aquinci).

tium, qui vix exauriri possunt, nostrarum. Ex libris T. Livii cognoscere possumus dispositionem rei publicae, antiquitates rei militaris, ex orationibus Ciceronis vitam forensem, e carminibus Horatii litteras; in sermonibus³ et epistulis eius plurima ad vitam privatam spectantia momenta praebentur. Materia poëseos litteris disciplinarum et scientiarum, architectura, medicina et physicis suppletur.

2. **Inscriptiones** sunt documenta antiquissima ligno, lapidi, aeri insculpta. Hodie circa CC milia inscriptionum ad res Romanas pertinentium novimus, quae titulum: «Corpus Inscriptionum Latinarum (CIL)» habentes in XVI voluminibus maximis typis⁴ expressae sunt.⁴ Inscriptiones ibi habentur, ubi repertae sunt, vel in musaeis sunt collectae, quae in epigraphia explanantur.⁵

3. **De monumentis.** In omni terra imperii Romani antiquissimi inveniuntur templa, arces, castra, aquae ductus, loci publici funeribus destinati etc., i. e. ruinae eorum. Quae monumenta — ut ita dicamus — facunda item

ibi sunt, ubi inveniebantur, aut in musaeis collecta. Vix inveniuntur regna in Europa, quorum musaea res, monumenta ad vitam Romanam pertinentia non haberent. In Hungaria inveniuntur talia musaea Budapestini, Aquinci, Jaurini,⁶ Wesprimii, Scarabantiae,⁷ Sabariae,⁸ Albae Regiae etc.


Musaeorum maiorum Europaeorum maxime nota sunt: 1. *Romae* a) Musaea Capitolina; b) Musaeum Vaticanum. Hic habentur inter cetera monumentum sepulcrum Scipionum, caput Iovis Otricolani, signa de Laocönte nominata, statua Apollinis (Belvedere); c)

Musaeum Nationale Romanum. 2. *Neapoli* collecta sunt monumenta, quae Herculaneo et Pompeis effosis inveniuntur. 3. Monumenta multa Romana inveniuntur *Lutetii Parisiorum* in arce regia (Louvre). 4. *Londini* Musaeum Britannicum maximum est omnium musaeorum orbis terrarum. 5. Multa atque pretiosa monumenta inveniuntur etiam in musaeis *Berolinensibus* et *Monacensibus*.⁹ 6. In patria nostra praesertim in musaeis *Budapestinis* (in Musaei Nationali, Aquinci) reperiuntur multa Romana documenta.

Monumenta Romanae originis, quae in

diversis regnis inveniri possunt, tempestatibus temporum — ut aiunt — ita obiecta sunt, ut hodie plerumque e terra sint effodienda. *Fossiones* maxima cum rerum peritia et apparatu scientifico fiunt, quo plurima documenta litteris conservari possint. Sedes rerum, quae ad vitam Romanam pertinent, effodiendarum imprimis Italia est, praecipue Roma, ubi nostris ipsis diebus nihil non faciunt, ut Roma antiqua integra effodiatur. Item effodiuntur etiam Pompei. In terra patriae nostrae quoque saepe inveniuntur monumenta antiquissima, quae caute effodiuntur, sic Aquinci, Brigitone,¹⁰ circa Iaurinum, Intercisae¹¹ etc.

¹ irodalom = Literatur = littérature ² ismeret = Kenntnis = connaissance, notion ³ in satiris ⁴ nyomtatásban megjelenni = im Druck erscheinen = paraître ⁵ megmagyarázni = erörtern = expliquer ⁶ Győr ⁷ Sopron ⁸ Szombathely ⁹ München ¹⁰ Szőny ¹¹ Dunapentele.



Assecuratio¹ contra examinationem.

Ex libro Szilárd-Undi «O quam pulchra es vita scholastica» inscripto Latine reddit J. Guelmino.

Hodie ingens perturbatio erat in classe. Quo facilius res perspiciatur, antecedentia² sunt illustranda. Duabus hebdomadibus³ ante accidit, ut condiscipulus noster König ascenderet suggestum⁴ professorium et: «Silentium pueri — dixit — nuntio vobis consortium⁵ conditum esse. Consortium assecurationis contra examinationem.»

— Age, age — exclamat Mocsári — age! Audiamus!

Classis tota circumsaepsit⁶ ducem⁷ summum⁷ consortii, ut audirent. Et ille digitos inter malleolos⁸ vestimenti⁹ inserens enuntiavit:¹⁰ Quisquis se contra responsum assecurari vult, membrum consortii fieri potest binis nummulis¹¹ solutis. Hi duo nummuli ante illam horam solvendi sunt, cuius tempore patiens se contra periculum examinationis assecurari vult. Si qui examinati erunt, recipient binos nummulos suos et ultra hos etiam alios octonos consolationem habendi causā.

— Optime! Hoc deerat adhuc nobis — ululavit Winkler, qui respondens plerumque malum calculum¹² accipere solet.

— Exspectes parumper — dixit ei König continuans explicare rem — et si quis non evocatur, quod contulit,¹³ necessario¹⁴ amisit. Contra quod se assecuravit, accepit et ideo solvit illos binos nummulos. Et interdum tantam animi commotionem¹⁵ habuit, quanta pro duobus nummulis verē parvo¹⁶ illi constat.¹⁶

Et ita risit, ut inter dentes etiam illius locus appareret, qui defecit¹⁷ illum. Et tum ex nobis viginti duo progressi binos nummulos solvimus, assecurantes nosmet ipsos contra examinationem horā Latinā subsequenti.

Tres evocati sunt assecuratorum. Et horā

finitā pretium¹⁸ consolationis¹⁸ et doloris¹⁸ distributum est. Etiam Winkler accepit decem nummulos, quia et ipse in numero eorum erat, qui respondere conabantur, vel potius: qui examinabantur et non responderunt. «En habetis pecuniam — dixit König assecuratis — sicut legibus¹⁹ constitutis¹⁹ nostris ordinatur.»

Res maxime placebat. Et risit ipse, quia collati sunt nummuli 44, exsolvit 30 et sic, si non erro, remanserunt ei 14 nummuli. Sic fungebatur consortium per hebdomades, neque pueri querebantur, bene evenerunt enim semper ad aegritudinem animi sanandam octoni nummuli.



Binder autem, qui maximus veterator²⁰ est in classe et invidet negotio²¹ Königi, aliquid in occulto praeparabat. In praelectione²² Hungarica, quam dominus professor Halápi habuit. Sed non festinandum est, serva²³ ordinem²³ iustum diarium meum! Heri igitur, ut iam supra dixi, veterator iste Binder, multos seor-

¹ biztosítás = Versicherung = assurance ² előzmények = Vorgeschichte = les antécédents ³ hét = Woche = semaine ⁴ dobogó, emelvény = Katheder, Podium = estrade
⁵ részvénytársaság = Aktiengesellschaft = société anonyme
⁶ körülfogni = umzingeln = entourer ⁷ vezérigazgató = Generaldirektor = directeur général ⁸ gomb = Knopf = bouton ⁹ kabát = Rock = veston ¹⁰ kihirdetni = verkündigen = annoncer, proclamer ¹¹ fillér = Groschen, Pfennig = centime ¹² szekunda = ungenügende Note = une mauvaise note ¹³ befizetni = beisteuern = payer
¹⁴ természetesen = natürlich = naturellement ¹⁵ izgalom = Aufregung = émoi ¹⁶ kerülni (vmibe) = (etwas) kosten = coûter qqch. ¹⁷ hiányozni = fehlen = manquer ¹⁸ vigasz- és fájdalomdíj = Trost- und Schmerzensgeld = prime de consolation ¹⁹ alapszabályok = Statuten = statuts ²⁰ huncut, kópé = Schlaupkopf = coquin ²¹ üzlet = Geschäft = les affaires ²² előadás = Vorlesung, Unterricht = classe ²³ sorrendet tartani = die Reichenfolge erhalten = procéder par ordre

sum²⁴ duxit nostrum: «Condisce lectionem crastinam optime! Demonstra, quis sis. Dominus professor aestimat te, cura, ne tu ipse destruas²⁷ te ipsum. Et praecipue, noli oblivisci: assecura te ipsum contra examinationem apud König!»

König certior factus est de re, quam tamen nihil curavit,²⁶ sed risit. Persuasum²⁷ enim habebat²⁷ Binderum sibi quidem invidere, nihil autem nocere posse. Advenit tandem hora illa mysteriosa et professor Halápi intravit classem. «Cum res ita sint — dixit — videamus scientiam istam vestram!»

Et plurimi evocati sunt.

König colores²⁸ mutabat²⁸ stomacho²⁹ et terrore. Etiam ipse evocatus est, sed non potuit respondere, nam commotione confusus pessimam notam accepit. Admiratione plenus, quasi nesciret, quid ageretur in classe, ore stupido³⁰ resedit et lente circumspexit. Et ubique vultus malitiose³¹ surridentes vidit: tu quoque vulpes astuta³² foveam³³ cecidisti. Nunc solves!

Post praelectionem insolventia³⁴ finem consortii fecit. Quod pecuniae habuit König, amisit et etiam quadraginta nummulos aliis debuit³⁵. «Quomodo hoc fecisti?» instabamus interrogantes veteratorem illum Binderum.

— Simpliciter. Ante praelectionem occurri³⁶ professori Halápi et nos classem studiosissimam³⁷ discendi esse illi rettuli rogans, ut dignaretur nos hodie examinare. Et professor Halápi, certe homo bonus, dignatus est plurimos evocare responsuros.

²⁴ félre = bei Seite = de côté ²⁵ tönkretenni = zu Grunde richten = ruiner sa réputation ²⁶ törödni = sich kümmern = se soucier ²⁷ meg volt győződve = er war überzeugt = il était convaincu ²⁸ kékül-nizöldül = grün und gelb werden = devenir vert et jaune ²⁹ düh, méreg = Aerger = colère ³⁰ elképedt = verdutzt = ébahi ³¹ kárörvendő = boshaft, schadenfroh = malicieux ³² ravasz = schlau = rusé ³³ verem, tór = Fallgrube = piège ³⁴ fizetésképtelenség = Zahlungsunfähigkeit = insolvabilité ³⁵ adós marad = schuldig bleiben = devoir ³⁶ találkozni = begegnen = rencontrer ³⁷ buzgó = eifrig = fervent

De viva lingua Latina. III.

Otto Schmied Vindobonensis.

Quomodo «Societas Latina» propositum¹ assecutura est? Cum, quaecumque ad linguam universalem pertinent, colligit, huic quaestioni solvendae interest, Latinam linguam rei pro-

positae accommodat, quicumque usquam Latinitati student, consociat, cum societatibus eiusdem generis ephemerides commutat. Qua in re primas partes ephemeris «Societatis Latinae» sub eodem nomine agit, cui Eduardus de Welz cum dexteritate moderatur; quae partim Latine partim (sed minus minusque) Germanice scriptae quater vel quinque in anno prodeunt et demonstrant, quantopere lingua, quae iam pridem mortua dicta est, hucusque² vigeat.

Prima opera dictionario Latino rerum recentissimarum dabatur: a circiter duobus milibus vocabulorum inceptum est; qua in re alii libri societatem adiuvant velut ille *Capellani-Lameri*, qui inscribitur: «Sprechen Sie lateinisch?» vel Thiemeianus: «Scribisne litterulas Latinas?», quem librum nuper *Merten* sub titulo: «Lebendiges Latein in modernen Briefen» quintum edidit. Undique et ex omnibus officiis nova materia conferebatur conferturque velut e. g. musices director Coloniensis³ (nomine *Goslar*) vocabularium musicum paene plenum attulit. Sententiis non solum inter sodales, sed etiam cum Iosepho *Fornari* moderatore «Almae Romae», illo propugnatore purissimae Latinitatis, commutatis commutandisque paulatim leges vocum novarum usurpandarum creandarumque magis magisque explicantur et confirmantur. Quis Monacensibus non assentitur, qui «Senatum Societatis Gentium Latinae» constitui volunt?

Item in genus Latine dicendi animus intenditur et nuper Georgius *Lurz*, alter praeses Societatis, hanc rem tractans ita conclusit: «Tale dicendi Latine genus est eligendum, quale minime abhorret⁴ ab Latinitate, quae dici solet classica idemque est dilucidum, praecisum, non obscurum, non moleste longum. Petenda est dictio quantum fieri potest classica eademque practica i. e. non discrepans a vitae usu et utilitate.»

In «Societate Latina» eodem modo atque in «Iuventute» multis exemplis velut commentariolis aut notis demonstratur, quomodo res recentissimae imprimis technicae linguā Latinā optime possint exprimi. Neque vero Musa sive elegans sive hilaris spernitur, praesertim cum Hermannus *Weller*, primus praeses Societatis, hac in re omnibus praecellat; nam in «certamine poetico», quod *Hoefftius* Batavus a. 1843 condidit, iam octies vel novies palmam est adeptus. Neque solum nova carmina Latina inveniuntur, sed etiam Germanica Latine versa, qua in re partim metra antiqua partim moderna usurpantur. Quam varia lingua Latina sit, e nulla re magis elucet quam, quod Schilleri

¹ célkitűzés = das vorgesezte Ziel = le but fixé

² mostanáig = bis jetzt = jusqu' à présent ³ kölni = von Köln = de Cologne ⁴ véteni vmi ellen = verstossen gegen etwas = pécher contre.

«carmen de campana» non minus septies et semper aliter Latine versum adhuc prodiit.

Ut poesis Latina inde a Livio Andronico usque ad nostra tempora iam non conticuit, etiam ioci Latini usque ad hunc diem agebantur. Recentiora tantum ut afferam: quis Buschii librum nescit de «Maxii et Moritzii facinoribus puerilibus» a *Mertenio* in sermonem Latinum conversum? Iocos maxime varios in «*Iuzici*» libello inscripto: «Der lustige Lateiner» invenias. Quid dicam de aenigmatibus Latinis, quae numquam exstincta imprimis nostra aetate aenigmatibus adeo indulgenti reflouescunt? Sed etiam propagationi mercatoriae lingua Latina coepit inservire.

Quis igitur linguam Latinam hucusque vivere neget aut his temporibus reviviscere? Quisquis autem adhuc studiis humanioribus favit, hac re gaudeat, praesertim cum leges grammaticas mutare nemini in mentem veniat neque quidquam licitum sit, nisi quod, ut *Lurzius* ait, «congruat rationi et naturae sermonis nec pugnet cum Genio Latino», atque adiuvet «Societatem Latinam» et «Iuventutem», dum communem finem adipiscamur:

Latinum pro lingua universali adhibitum!

(Finis.)

Avus narrator.

Scena televisionalis ex ephemeride «*Vita radiophonica*» excerpta. H. G. Wells imitatus scripsit *Edmundus Szilágyi*. Latine vertit *Carolus Ács* Budapestinensis.

Res agitur a. 1986 in habitatione simplici et civilem in modum exornata, in tabulato¹ 97. domus cuiusdam Budapestinensis in² nubila² erectae² (nubibus contiguae), quae, ut³ adsolet,³ sole calefit et illuminatur.

Personae: Avus 70 annos natus, Br. III. 9 annos natus, Br. 2. 8 annos nata.

Br. III.: Salve, ave mi suavissime!

Avus: Salve Tertiole⁴ mi, ubinam fuisti?

Br. III.: In nemore Boloniensi (= Bois de

Boulogne) paululum ambulavi, ubi verno tempore omnia bellissima ac nitidissima sunt.

Avus: Attat, non tibi alia ambulatio tota Europā praesto⁵ est?⁵ Quotidie ibi spatiaris. Sed ubi est Secundulus?⁶

Br. III.: Quinam Secundulus? Arabicusne an Romanus?

Avus: Per⁷ tubum neonicum!⁷ Semper obliviscor ad numerum apponere. Nimirum difficile est mihi memoriā tenere numeris Arabicis pueros, Romanis puellas significari. Quae tempora, qui mores! Quinquaginta annis ante tu Geysa, Ladislaus vel Bela vocatus esses, parvula autem Secundula Gisela vel Irene appellata esset.

(Interea Br. 2. intrat cinctulum⁸ puellarem⁸ ex aluminio factum explicans⁹ manusque avi exosculans.)


Br. 2.: Quam celerrime potui, properavi timens, ne tarde ad ientaculum¹⁰ venirem.

Avus: Certe I-mum ad Oxoniensem universitatem comitata es. Esto! Sed ne sic quidem res¹¹ mihi¹¹ liquet.¹¹ Est enim iter a Budapestino usque Oxonium¹² facienti et inde redeunti ut plurimum,¹³ 25 sexagesimarum.¹³

Br. 2.: Minime vero, ave mi! 13 tantum sexagesimarum. Verum parvo circuitu,¹⁵ cum portum Massiliensem invisissem, domum redii.

Br. III.: Ehem, nunc mihi in mentem occurrit me cras Tokionem excurrere velle.

¹ emelet = Stock = étage ² felhőkarcoló = Wolkenkratzer = gratte-ciel ³ rendszertint = wie gewöhnlich = comme d'habitude ⁴ hármacska = Dreierchen = petit numero 3 ⁵ rendelkezésedre áll = steht dir zur Verfügung = est à ta disposition ⁶ ketteske = Zweierchen = petit numero 2 ⁷ neonsző = Neonröhre = tube au néon ⁸ szoknyácska = Röckchen = petite jupe ⁹ lesimítva = glättend = lissant ¹⁰ reggeli = Frühstück = petit déjeuner ¹¹ nem értem a dolgot = will mir nicht einleuchten = je n'y vois pas clair ¹² Oxford ¹³ legfeljebb = höchstens = tout au plus ¹⁴ perc = Minute = minute ¹⁵ kerülő = Umweg = détour



Br. 2.: Denuo eo iturus es, cosmocopio¹⁶ nihil aliud facis, quam identidem Tokionem specularis.

Avus: Ei, illis temporibus, cum ego iuvenis vigebam, non sic erat.

Br. 2.: Fabulare, ave mi, aliquid de illis temporibus.

Avus: Illis temporibus aliae erant res! Tunc temporis non fulmineo¹⁷ globo,¹⁷ sed



C. Schuschnigg Budapestini (pag. 119).

aëroplano vehebamur, licet hoc vehiculum tardiusculum¹⁸ esset. Sic enim vehentibus iter unius diei erat. Equidem memini me hoc vehiculo ad certamen pedifollii¹⁹ electorum Hungarico-Anglicorum Londinium vectum esse.

Br. III.: Curnam opus fuit eo iter facere?

Avus: Nam tum aliter se res habebant ac his temporibus, cum catervae Americae et Hungariae electae suis domibus pilas tormentis¹⁹ radio¹⁹ pyrio¹⁹ motis¹⁹ in alteras utras portas iaculantur. Tum caterva electorum in patriam adversarii necesse erat, ut proficisceretur.

Br. 2.: Rem inauditam et mirificam! Aderantne permulti certaminibus?

Avus: Plus centum milia hominum. Viri ac feminae in novissimum modum amicti.

Br. 2.: Vestibusne metallicis induti?

Avus: Minime. Variis, ex speciosissimis confectis pannis.²¹ Memini aviam vestram totam horam se muliebribus²² munditiis²² expolivisse²² fuco²³ primae²⁴ notae²⁴ atque pulvere²³ oryzae²³ Parisiaco adhibito, quo pulchrior esset.

Br. 2.: Ain vero? Nondumne erat nota cutis²⁵ vultus²⁵ commutabilis?²⁶

Avus: Nondum, neque vestis lumine²⁷ proiecta²⁷ in usu erat.

Br. 2.: In reticulo muliebri meae materculae semper insunt octo decemve. Appressā bullā²⁸ puncto temporis aliā veste induta in conventu²⁹ saltatorio²⁹ saltat.

Avus: Hac de causa pater vester acerrimam pugnat pugnam. Nimis enim magno³⁰ constat³⁰ accumulator vestium recentissimo modo confectarum.

Br. 2.: Ea est causa, ut exortā domesticā pugnā te³¹ domo in Aegyptum celeri cursu proripias.³¹

Avus: Ita vero. Nunquam me non taedit pugnarum et rixarum muliebrum.

Br. III.: Interfuistine, ave mi, iusto³² et vero³² bello?

Avus: Bello gentium natus sum. Pater meus quattuor annos in acie³³ dimicabat.

Br. III.: Itane? Sed quid actum est per tam longum tempus?

Avus: Pugnabatur. Tu quidem res illorum temporum cum hodiernis comparare videris recordarique belli, quod nudius³⁴ tertius Europa cum Australia gessit.


Br. III.: Nimis diu gestum est, nam Europaei imperiti fuerunt: 17 sexagesimis pugna stetit,³⁵ dum superiores discessimus.

Avus: Non³⁶ est operae³⁶ pretium³⁶ vobis fabulari. Omnia aliter se habent atque olim.

Br. 2.: Aperiamus ergo cosmocopium spectemusque, quid Melburni agatur. Inspicitodum³⁷ mi Tertiole, «Vitam Radiophonicam».

Avus: Vita Radiophonica! Est igitur aliquid, quod immutabile permansit.

¹⁶ világlátó = Weltgucker = cosmocope ¹⁷ villámgyolyó = Blitzkugel = éclair en boule ¹⁸ kicsit lassú = ein wenig langsam = un peu lent ¹⁹ labdarugás = Fussball = foot-ball ²⁰ rakétaágyú = Raketengeschütz = canon à fusées ²¹ szövet = Stoff = étoffe ²² kozmetikázni = sich kosmetisch aufputzen = soigner sa beauté à l'aide de cosmétiques, se bichonner ²³ rúzs és púder = Rouge und Puder = du rouge et de la poudre ²⁴ legfinomabb = feinst = le plus fin ²⁵ arcbőr = Gesichtshaut = teint ²⁶ kicserélhető = wechselbar = interchangeable ²⁷ vetített = projiziert = projeté ²⁸ gomb = Knopf = bouton ²⁹ bál = Ball = bal ³⁰ sokba kerül = kostet viel = coûter cher ³¹ rohansz = rennst = tu cours ³² igazi = echt = véritable ³³ front = Front = front ³⁴ tegnapelőtt = vorgestern = avant-hier ³⁵ tellett = wahrte = durer ³⁶ nem érdemes = es lohnt sich nicht = cela ne vaut pas la peine ³⁷ nézd csak meg = schau nur nach = consulte



Mercatus¹ rerum¹ rusticarum¹ publicus, quem Gubernator noster N. Horthy de Rivulo Dominarum² a. d. XV. Kal. Apr. Budapestini inauguravit,³ iam quadragesimo sexto populis exteris ostendit, quid amor agri ceterarumque rerum rusticarum producere posset. Non solum cultores⁴ maiorum⁴, sed etiam minorum fundorum⁴ pecora⁵ arte prope modum educata feturaeque⁵ utilia⁵ ibi protulerunt. Progressus praecipuus ratione⁶ educationis equorum, animalium⁷ cornutorum,⁷ suum, ovium, pecorum volatilium cernebatur. Machinae quoque in rebus rusticis usitatae nec non, vina varia cibariaque specialitatis Hungaricae laudem quam maximam consequantur.

Per plures dies in hippodromo equitationes, quae nullā⁸ oblivione⁸ delentur,⁸ spectatores delectabant pulchritudinem tenacitatemque equi Hungarici demonstrando. Quali voluptate bigae et quadrigae, immo et currus cum quinque et sex equis omnes affecerunt! Id quoque ibi cerni poterat, quomodo falconum⁹ ope⁹ venaretur.⁹ Lepus forte emissus in punctis¹⁰ temporis¹⁰ falconi praedae factus est. Quid, si vidissetis exercitationem canum, qui a custodibus¹¹ publicis¹¹ multo labore domiti sunt! Agilitate enim incredibili impedimenta opposita transilierunt et omnia praecepta dominorum maxima cum velocitate sensuque naturali adducti confecerunt.

Haud mirum est, quod et gentes exterae studio¹² inaudito concursuque maximo aderant. Amicus quoque excellentissimus Hungariae, *Curtius Schuschnigg*, cancellarius Austriacorum mercatum conspiciens haec dixit: «Haec expositio conspectus¹³ est magnificentissimus rerum rusticarum Hungaricarum.» Hospes illustrissimus in imagine nostra iuxta primum ministrorum Darányi stans cibum Hungaricum gustat.

Guilelmus Marczis praef. Rákócziáni Bpest.

Eugenius Hubay praeses emeritus¹⁴ academiae musicae Budapestinensis 79 annos natus de improviso mortuus est. Hubay iam a. 1882 Henrico Vieuxtemps mortuo professor violinistarum conservatorii Bruxelliensis ab rege dictus est. Discipuli eius illustrissimi Vecsey, Szigeti, Telmányi, Martha Linz sunt. Opera eius notissima sunt: 1. dramata¹⁵ melica¹⁵ quae inscribuntur Anna Carenina, Violonista Cremonensis, etc.; 2. scenae ex caupona campestri (vulgo: csárda), symphoniae de Dante et Petőfi nominatae. Magnus artifex etiam extra Hungariam lugetur.



Bimillennium Horatianum nuper in atrio curiae¹⁶ oppidi Hódmezővásárhely celebratum est. Orationem ab Andrea Csépké habitam collegae eius Clara Győrfy et Alexander Mátyás carmina Horatii recitando illustraverunt, deinde chorus urbanus concentu¹⁷ vocum¹⁷ auditores delectavit. Anthologia «33 carmina Horatii ad modos¹⁸ aptata»¹⁸ continens venale¹⁹

¹ Mezőgazdasági Vásár = landwirtschaftliche Messe = exposition agricole ² Nagybánya = megnyitni = eröffnen = ouvrir ³ nagybirtokos = Grossgrundbesitzer = grand propriétaire ⁴ tenyészállat = Zuchtvieh = bétail d'élevage ⁵ illetőleg = in Betreff = en ce qui concerne ⁶ szarvasmarha = Hornvieh, Rindvieh = bête à corne ⁷ felejthetetlen = unvergesslich = inoubliable ⁸ sólyomvadászat = Falkenjagd = chasse au faucon ⁹ perc = Minute = minute ¹⁰ rendőr = Schutzmann = sergent de ville ¹¹ érdeklődés = Interesse = intérêt ¹² szemle = Schau(stellung) = revue ¹³ nyugalmazott = im Ruhestand = retraité ¹⁴ opera = Oper = opéra ¹⁵ városház = Rathaus = hôtel de ville ¹⁶ karéneke = Chorgesang = chœur ¹⁷ megzenésíteni = vertonen = mettre en musique

prostat¹⁹ apud Iosephum Fraknóy (Budapest, VIII., Trefort-u. 8.).

Communistae Parisienses mense praeterito socialistas factionis tribuni²⁰ militum²⁰ de la Rocque spectaculum²¹ cinematographicum²¹ spectantes aggressi multos vulneraverunt et interfecerunt. Vulneratus est nonnullis globulis²² sclopetulo²² missis etiam adiutor Leonis Blum primi ministrorum, nomine Blumel. Discordias tamen communistae, quia mense Maio expositio mundana inaugurabitur, ad autumnum intermittere volunt, ne hospites externi territi domi maneant.

Explosio horribilis nuntiatur Novo Londinio (in America). Sumptus²³ comparcendi²³ causa²³ rector tubos²⁴ gasi²⁴ calorifici²⁴ sub schola ductos furtim — sine permissu fabricae gasi — cum schola coniungi²⁵ curavit. Sed forte cum gasum emanans exploderet, totum aedificium tam celeriter corruit, ut 426 discipulorum magistrorumque perirent.

Dramatis Goetheiani «Faust» ambae partes nuper Berolini in theatro Rose repraesentatae sunt. Actio in tres partes divisa est: 1. drama Faustii Mephistophelisque usque ad culinam²⁶ strigae,²⁶ 2. tragoedia Margaretae, 3. mors Faustii. Quamquam multae scenae omissae sunt, tamen 28 imagines per 10 horas spectatores delectaverunt.



In Hispania bellum civile nondum finitum est. In urbe Madrito etiam monumento Domini Quijotis et Sanchi Pansae sacci arenā plenae

pro vallo²⁷ obiiciuntur²⁷, quibus tecti communistae pugnare possint (vide imaginem).

Dux Mussolinus provincias in Africa septentrionali adiens ubique magno concursu multitudinis celebratus et a Mohamedanis ense prophetae donatus est, quibus promisit se amicum atque defensorem eorum futurum esse.

Summus Pontifex Pius XI. ex diuturno morbo tandem recreatus²⁸ feriis Paschalibus missae pontificali in aede cathedrali S. Petri iam ipse aderat atque benedictionem, quam «Urbi et Orbi» impertivit, innumerabilis multitudo accepit. In quibus fuisse nuntiantur heres regni Daniae cum uxore, Caecilia principissa Borussiae, Ioannes princeps Saxoniae, Magdalena archiducissa Hungariae, etc.

Christianus rex Daniae matutino tempore quotidie equo vectus in viis²⁹ Havniae (vulgo: Copenhagae) transversis²⁹ sicut alii, etiam ipse equum retinens tranquille manet, dum custos³⁰ frequentiae³⁰ viarum³⁰ lumine viridi signum det proficiscendi (vide imaginem).

¹⁹ kapható = ist zu beziehen = on peut avoir
²⁰ ezredes = Oberst = colonel ²¹ mozieloadás = Kinoaufführung = séance de cinéma ²² revolvergolyó = Revolverkugel = balle de revolver ²³ takarékoságból = aus Sparsamkeitsgründen = par économie ²⁴ fűtő-gázcső = Heizgasrohr = tuyau à gaz de chauffage ²⁵ bekapcsolni = einschalten = brancher ²⁶ boszorkánykonyha = Hexenküche = antre d'une sorcière ²⁷ torlaszt emelni = Barrikade errichten = élever des barricades ²⁸ felgyógyulni = sich erholen, genesen = guérir, regagner la santé ²⁹ utcai átjáró = Strassendurchgang = passage clouté ³⁰ közlekedési rendőr = Verkehrspolizist = agent de la circulation




Acta¹ diurna¹ Vindobonensia dicunt fringillam² canariam² «nostram» primum 400 annis ante in Europam apportatam esse. Anno 1536 appulit navis quaedam Hispanorum mercatoria haud procul ab insula Ilva.³ Hac navi transportaverunt Hispani, novi domini Insularum⁴ Fortunatarum⁴ canarias fringillas qua-

¹ hirlap = Zeitung = journal, gazette ² kanárimadár = Kanarienvogel = canari ³ Elba ⁴ Kanári szigetek = die Kanarischen-Inseln = les Iles Canaries

dringentas, quae passim volantes in insula Ilva vivebant. Hac in insula iis temporibus nemo feminarum alites amantium inveniri potuit, quae aves miseras defenderent; populus ergo pauperrimus non magni aestimans⁵ canoras aves tempore epularum vespertinarum⁶ comedebant. Nonnullae earum tamen ad occidentem importatae propter magnitudinem pretii temporibus renascimenti⁷ non nisi a divitissimis hominum emebantur.

⁵ nagyra értékelni = hochschätzen = apprécier ⁶ vacsora = Abendbrot = souper ⁷ Renaissance ⁸ zenedarab = Musikstück = morceau de musique ⁹ eltrillázni = trillern = lancer des trilles ¹⁰ sőt = sogar = bien mieux ¹¹ általános természetrajz = «Gemeine Naturgeschichte» = Histoire naturelle générale ¹² kivonni = substrahieren = soustraire ¹³ szorozni = multiplizieren = multiplier ¹⁴ ágyú = Kanone = canon

Salse dicta. 1. Dionysius, tyrannus Syracusarum questus est quondam, quod cibaria sibi non saperent.¹ «Haud mirum — respondit coquus eius — cares enim condimentis² ne-



Navis aedis chatedralis S. Petri. Altare S. Pontificis sub aulaeó portatili (vulgo: baldachino) est (pag. 120).

Fringilla canaria colorem viridem modo mysterioso flavā mutavit. Annales enim illius aetatis eam viridem avem descriperunt. Exercendo avis discebat varios modos⁸ musicos,⁸ hic elucebat facultas eius imitationis egregia. Non solum sono⁹ vibranti⁹ canit⁹ varios modos, quin¹⁰ etiam¹⁰ si verum est, quod «Historia¹¹ universa¹¹ naturalis¹¹ quaedam (a. 1842) pro certo affirmat «ditteras verbi desiderati ex alphabeto exquirere, subtrahere,¹² multiplicare¹³ quoque potest et cum globus tormento¹⁴ emittitur; se mortuam simulat, periculo verum praeterito insilit et pulchre canit». Sors miserabilis hanc avem transformavit: hostia facta est delectandi hominis. Post tot saecula quoque manet haec avis permultis hominibus cara.

Gabriel Pap disc. Agriensis.

cessariis.» — Quibus? — interrogat tyrannus. — «Labore et fame!» — respondit coquus.

2. Agim, regem Spartae, aliquando philosophus quidem sic est allocutus: «Inter omnia bona humana plurimum facultas loquendi valet.» — «Tu igitur, cum siles, nihil vales» — respondit rex.

Andreas Uskert disc. Tatanus.

Fabella de Ovidio. Mens P. Ovidii Nasonis, unius poetarum clarissimorum Romanorum iam aetate puerili afflatu³ divino poësis concitata erat. Quam rem pater honestus non benigne excepit. Die quodam filium Pegaso vehendum dedocturus⁴ virgā usus est. Dicitur

¹ ízlik = schmecken = plaire ² fűszer = Gewürz = épices ³ sugallat, ihlet = Anhauch, Eingebung = inspiration ⁴ leszoktatni vmiról = jmdm etw. abgewöhnen = déshabituer

Ovidius tunc hunc hexametrum clamavisse :
«Parce pater virgis, nunquam iam carmina
dicam!» Gratias diis, poëta promissum non
persolvit.

Stephanus Zágon disc. gymn. archiepiscopalis.



Rex Daniae (pag. 120).

Credo Hungaricum.

*Credo unum in Deum, in unam Patriam
Et credo in divinam iustitiam
Et in resurrectionem Hungaricam.*

*Haec mea vita est, haec est religio,
Pro ea crucem meam libenter gero,
Quin crucifigi etiam iubeo.*

*Vellem clamare in aures dubitantium
Et inurere in animum trementium,
Scribere litteris igneis in caelum:*

*Haec fides est potestas, arma et vita,
His obteres genera hostilia
Et te potes liberare ab invidia.*

Latine reddidit: *Emericus Markó* disc. Keszthelyiensis.



locosa.

Difficultas emunctionis.¹ Venatores veterani
inter pocula² de rebus admirandis inter se colloquuntur. Rem admiratione dignissimam venetor natu maximus narrat: «Novi agricolam quendam, cui tonsor in officina nasi primoris

acumen³ desecuit. Acumen decidit in terram, quod cum tonsor sumere vellet, desecuit homini pedibus nudò digitum quoque. Tonsor maxime perturbatus digitum hominis naso, at nasi acumen digito pedis applicavit⁴ et partes diversae corporis sine malo coaluerunt.⁵» — Auditor quidam dubitans: «Reverā sine malo?» — «Non omnino, — respondit narrator, — nam agricolae illi hieme valde incommodum est antequam se emungat, caligam⁶ semper exuere!»⁶

Haec est velocitas. Tres viatores inter se de velocitate ferriviae colloquuntur. *Gallus:* In Gallia currus ferriviae tanta celeritate vehuntur, ut transversaria lignea⁷ quasi pavementum fieri videantur. *Germanus:* Simili modo apud nos in Germania perticae,⁸ quibus fila⁹ telegraphica ducuntur, ob velocitatem saepes¹⁰ videntur. *Hungarus:* Vestra velocitas admiratione sane digna est, sed audiat Hungarica. Nuper ex fabrica Zsolnayana Quinque-Ecclesiis emi vas Maioricum¹¹ pretiosissimum, quod cum bajulo¹² traderem, cavere eum iussi, ne sarcina fragilior frangeretur. Nempe confracta est. Irā maximā incensus alapam¹³ ei ducere volebam, sed interim currus commoti sunt atque erecto brachio meo alapam non ille bajulus miser, sed iam praefectus stationis Budapestinensis passus est.

Paulus Farkas Budapestinensis.

¹ orrfujás = Schneuzen = se moucher ² poharazás = Zechen = en vidant les verres ³ orrhegy = Nasenspitze = le bout du nez ⁴ ráilleszteni = hinzufügen = appliquer ⁵ összeforradni = zusammenwachsen = se cicatriser ⁶ csizmáját levetni = den Stiefel ausziehen = se déchausser ⁷ talpfa = Schwelle = traverse ⁸ sürgönypózna = Telegraphenstange = poteau télégraphique ⁹ huzal = Draht = fil de fer ¹⁰ kerítés = Verzäunung = clôture, haie ¹¹ majolika = Majolika = maiolique ¹² hordár = Träger = facteur ¹³ pofon = Ohrfeige = giffle

Duo ebrii primā luce domum eunt. Vident lunam in coelo.

Unus: «Ecce luna!» — Alter: «Ecce sol!» — Iam iam inter se rixantes¹ quendam hominem videbant appropinquare. Interrogaverunt eum utrum luna, an sol esset in coelo? Homo respondit: «Nescio, peregrinus sum.»

Carolus Anheuer disc. gymn. Acad. Bpest.

1. Nebulo: Bruhuhu, vespa pupugit² me. — Mater: Impone celeriter oleum. — Nebulo: Non possum, illa iam avolavit.

¹ hajba kapni = streiten = en venir aux mains ² meg-csipni = stechen = piquer

2. Coquus exclamat. — Cave! Caro decedit de mensa, ne auferat canis! — Noli timere — inquit nebulo, — iam imposui pedem. *A. Pallavicini disc. gymn. Acad. Bpest.*

Coquus Sinensis. Acta diurna³ Americana narrant hanc fabulam parvam, sed veram: In castris operariorum coquo Sinensi usi sunt, quem ut viderent, cuius ingenii sit, operarii vario ludibrio⁴ habebant.⁴ Aliquando nuces collocaverunt in lecto eius, quas postea Sinensis animo aequo exemit. Clavos⁵ in lecto absconditos item haud⁶ irritatus⁶ amovit et ex calceis subridens effudit arenam. Ceteri viderunt eum haec omnia pro nihilo habere et statuerunt eum inter se accipere. Tunc ductor eorum dixit Sinensi: — «Ergo, Chang, haec omnia, quae nos adhuc tibi fecimus, tantum ioca erant. Nunc iam videmus te nobis aptum esse. Accipimus te inter nos.» *Chang:* «Ergo non me ludibrio habebitis?» *Ductor:* «Ita est.» *Chang:* «Ergo non erit clavus in lecto meo, nec arena in calceo meo, nec . . .» *Ductor:* «Non, omnia aberunt, quae tibi stomachum⁷ moveant.» *Chang:* «Ergo abhinc neque ego in coffeum vestrum spuum.»

Elisabetha Fikár disc. Kaposváriensis.

³ hírlap = Zeitung = journal ⁴ megréfalni = jmdm einen Streich spielen = jouer un tour à quelqu'un
⁵ szeg = Nagel = clou ⁶ minden harag nélkül = ohne sich zu ärgern = sans aucune colère. ⁷ bosszúság = Arger = colère

Quis scripserit Shakespearii fabulas?¹


Scripsit *Rol. Hegedüs*, in Latinum convertit *Ioannes Jeney dr. Debrecinensis.*

Quia breviter mihi dicendum est de aenigmate litteraturae universalis studium² excitanti², opinor, necesse non est me huic proposito³ subiici, veluti Samuel Taylor Coleridge fecit, ut versus dramatum singillatim enumerem, et ex illis ancipites⁴ cribro⁵ excernam.⁵ Immo ne id quidem opus est, quod omnes bibliothecae faciebant, cum documenta in operibus secreta sonettis⁶ adiunctis investigarent et sic demonstrarent, utrum a comite⁷ cancellario⁷ Bacone de Verulamo fabulae scriptae essent an ab alio quoquam. Ego

claustra⁸ arcani⁸ uno simplici momento psychologico utens aperiam, ut credo, non penitus frustra.

Ut quicumque sententiae fidem⁹ habeat,⁹ hanc opinionem praedico: tragoedias illustrissimas et comoedias idem auctor scripsit, qui simul auctor est fabularum de regibus scriptarum. De his usque adhuc nemo mortalium dubitavit. Perspicuum est ab eodem poeta, a quo figuras Hamleti Ofeliaeque creatas, et mundum¹⁰ Alborum¹⁰ admirabilem operis «Somnus nocte S. Ioannis Baptistae»¹¹ ad oculos sibi propositum,¹² ab eodem figuram Falstaffi, non minus in fabula «Ioannes Rex» hanc scenam¹³ donatam esse, in qua ab hominibus ideo non potest excaecari princeps Arthur, «quia perpulchros oculos habet.» Si haec accipimus, iter argumentationis meae per duas partes explicatur.

Ac primum quidem Shakespearii fabulas nec Bacon, nec alius vir¹⁴ rerum¹⁴ civilium¹⁴ scribere potuit. Sit, ut Iulius Gömbös, primus¹⁵ mi-



Theatrum Shakespearianum Stratfordii ad Avonem fluvium in Britannia.

¹ dráma = Drame = drame ² érdekesítő = spannend = passionnant ³ feladat = Aufgabe = tâche ⁴ gyanús = verdächtig = suspect ⁵ kirosztálni = aussieben = passer au crible ⁶ szonett = Sonett = sonnet ⁷ lord-kancellár = Lordkanzler = lord-chancelier ⁸ titok nyitja = Schloss des Geheimnisses = la clef du mystère ⁹ hitelt ad = glauben = donner crédit ¹⁰ tündérvilág = Feenwelt = monde de fées ¹¹ Szentivánéji álom = Sommernachts-traum = Le songe d'une nuit d'été ¹² elképzelni = sich vorstellen = se figurer ¹³ jelenet = Auftritt = scène ¹⁴ politikus = Politiker = homme politique

nistrorum¹⁵ Hungariae, fabulam scriberet de rege Andrea II. Quia magistratus primi ministrorum sine ulla dubitatione ex Bulla Aurea oritur — hoc documentum¹⁶ tempore regis Andreae II. edictum erat, — non minus certum est summam actionis circa id commoveri, ut Bulla Aurea impetrata sit. Nunc primum ministrorum Hungariae in urbem Londinium traicio. Sit, ut illic Dominus Stanley Baldwin fabulam historicam scribat de tempore regis Ioannis, cum Magna Charta — fundamentum institutorum et legum Britanniae — edicta est. Respicens sensus traditionis Anglorum plane singulares, non est dubium, quin in opere Baldwini effectio¹⁷ Magnae Chartae sit sedes¹⁸ actionis. Sic transpositum primum ministrorum Britanniae transponamus ad tempus Shakespearei, in quo comes cancellarius Angliae Bacon de Verulamio nominatur. Hic cancellarius item fabulam scribat de tempore regis Ioannis. Quia tum propius adest tempori, quo Magna Charta rempublicam Britanniae transformavit, actionem dramatis sic constituet, ut haec reipublicae mutatio Angliae clare appareat.

E contra in manus sumamus drama Shakespearei, cui inscribitur «Ioannes Rex», quod sicut et titulus significat, totam vitam et mortem regis Ioannis conscribere vult. In hac fabula autem Magna Charta non solum sedes actionis non est, sed etiam de ea nullo modo agitur. Id est hoc documentum auctori nequamquam notum fuit, quia nec politicus erat, nec munus publicum habuit. Quam ob causam meo iudicio disceptatio¹⁹ iam soluta est.

Finis sequetur.

¹⁵ miniszterelnök = Ministerpräsident = président du conseil ¹⁶ okirat = Dokument = acte, document ¹⁷ keresztülvitel = Durchsetzung = mise en oeuvre ¹⁸ közép-pont = Mittelpunkt = centre ¹⁹ vita = Streit = débat, polémique

Végyári: *Abi, si quis.*

(Cordi, quod — ut meum — patitur.)

*Abi, si quis*¹ . . .

Abi, si sic vides:

Mox ubicunque in orbe magno

Fers levior sortis vices,

Abi . . .

Vola, velut hirundo

*Austro,*² *polove*³ — *hibernae ut alites —*
Caeloque tum supernus de profundo

Locum lustrato,

*Expectet quo quies te nido strato.*⁴

Abi, si quis.

Abi, si diffidens

Fides: «carere patriā»

*Mage ēst*⁴ *hic, extorrem quam dens.*⁴

Abi, si crederes

*In orbe non compaginari*⁵ *mentem,*

Hanc arborem sensus, cruorem habentem

Recordātu ad novas cruces novasque.

*Procella cordis sensim*⁶ *iam repressa,*

*Quam mille «vae» durant clam ante sessa.*⁷

*Raucans*⁸ *ruit,*

*Crucique*⁹ *in dies*

*Nostalgia figere*¹⁰ *tu perpeſſā.*¹¹

*Abi, ni*¹² *crederes.*

*Olim nec ipse credidit hoc Scriba,*¹³

Captam tueri patriam haud quiens,

*Sed ussit armos*¹⁴ *usque crux ascita,*¹⁵

*Et stella Zágon monstrat milliēns.*¹⁶

Vesperque sidus inferens

*Propontidi*¹⁷ *si venerat volucre,*¹⁸

Revisitare eum nostrates umbrae.

*Monelae*¹⁹ *mites (turbae amentes vere)*

*Quod lamberarant,*²⁰ *cor*

*Montes et aequora ulterā*²¹ *tulere . . .*

Abi, si quis . . .

Sique omnia perire videris,

Magis, iugum quam ferre, sparge ventis,

*Quae somniavisti ante, amata*²² *mentis ;*

Ut omnia perire videris,

Vade ultra vastas silvas, transmarinas

*Manūs tum praebiturus operis.*²³

*I dum, potis si eris.*²⁴

¹ quis = potes ² ad meridiem ³ ad septentrionem
⁴ facto ⁴ dens huius doloris: «non habeo patriam»: magis
intus, quam extra rodit, edit ⁵ compingi, construi ⁶ pau-
latim ⁷ quae antea secreto sederant ⁸ stridens ⁹ memoriae
¹⁰ figeris ¹¹ perpetior = patior ¹² si non, nisi ¹³ scriba
fidelis ducis Rákóczi, scil. Mikes ¹⁴ humeros ¹⁵ suscepta
¹⁶ milliēs (antique) ¹⁷ «Mare Marmoreum» ¹⁸ cito avolans
patriae ¹⁹ memoriae ²⁰ divellerant ²¹ ultra (antique)
²² = somnia amata anteriora ²³ opera, ae = opus, labor
²⁴ = si poteris

*Ego sed mansito!*²⁵
*Nigrescens crocicansque,*²⁶
Hiberna ut cornix pōpuli aridae.
Ignoro adhuc,
*An angulus me spectet tacito,*²⁷
Domi sed mansito.


*Molens ero teredo*²⁸ *ligni externi,*²⁹
*Aut hausti faex*³⁰ *scyphi patiens et sperni,*
*Ero venenum et externo cruori,*³¹
*Mephitis,*³² *vermis sublatens lurori,*³³
Domi sed mansito.

Campana et esse letalis volo
*Humans*³⁴ *tametsi, voce sed truci*³⁵
Certamen incitans arae-foci!
*Voloque filum*³⁶ *accendii*³⁶ *esse iam*
Edacis ignis pars ut torream;
*Incendii, quod, clanculo*³⁷ *serpens*
*Nocte in favilla*³⁸
*Maerorum donec lambat*³⁹ *pulverem,*⁴⁰
Deinde . . .!!

Ignoro adhuc,
An angulus me spectet tacito,
*Sed usque ad id,*⁴¹ *cornix arentis*⁴² *pōpuli,*
Domi dum mansito!

Latino reddidit *Ludovicus Meskó* Sch. P. Aegopolitanus

²⁵ maneo (diu) ²⁶ crocicare cornix corvusve solet
²⁷ an angulus quietus expectet ²⁸ szű = Holzwurm =
perce-bois ²⁹ alieni ³⁰ alja, borseprő = Hefe = lie
³¹ sanguini ³² vapor letalis ³³ pallor mortis ³⁴ sepeliens
³⁵ atroci ³⁶ gyujtózsínór, kanóc = Lunte = mèche
³⁷ clam, secreto ³⁸ cinis igneus ³⁹ nyaldosni, elérni =
erreichen = parvenir ⁴⁰ sc.: pyrium: lópor = Schiess-
pulver = poudre à canon ⁴¹ scil. tempus ⁴² aridae



Americani non contenti usitatis gymnico-
rum generibus semper aliquid novi excogitant.
In oppidulo Coeal Gables tres iuvenes de assi-
bus¹ alte positos desilientes experiebantur id²
quod² ad ictum² destinatum² erat, sagittā³
coniiciendā³ icere. «Coelum ipsum petimus stul-
titiā» dixit quondam Horatius. Etiam aliud sed
multo utilius novum inventum ex America

nuntiatur, quod commoditatis causā Europaei
forsitan mox imitabuntur. In centro enim
gymnicorum hiemalium Sun Valley sciatores⁴
ne montem ascendentes defatigentur, ad sin-



gulas sedes ferriviae⁵ funicularis⁵ loris devincti
et pedibus soleis⁶ nivalibus⁶ instructi in alti-
tudinem desideratam sursum vectantur.

¹ deszka = Brett = planche ² célpont = Ziel = but
³ nyíllövés = Pfeilschuss = trait ⁴ síelő = Skifahrer =
skieur ⁵ drótkötélpálya = Drahtseilbahn = funiculaire
⁶ sí = Ski = ski

Librorum recensio.

In veste Latina I. Decem balladae Goetheianae
et Schillerianae in linguam Latinam versae ab
Ottone *Schmied*. 36 S., brosch., S —.80 — RM —.52.
Oesterreichischer Bundesverlag, Wien und Leipzig
1937.

In veste Latina II. Duodecim balladae Buergeri,
Uhlandii, aliorum in linguam Latinam versae ab
Ottone *Schmied*. 32 S., brosch., S —.80. — RM —.52
Quod carmina e lingua Germanica in Latinam
versa, quae in appendice tertii fasciculi «Laeti
Latini» inveniuntur, minime displicebant, auctor
hac viā progredi ausus primum duos libellos, qui
balladas Germanicas «in veste Latina» continent,
edendos curavit; postea tertius nōta cantica et
Germanice et Latine in medium proferet.

Cum «Laetum Latinum» linguam, quae im-
merita multis metuenda est, tironibus scholae

Latinae amandam sit redditurum, libelli, qui «*In veste Latina*» inscribuntur, ultra illum finem spectant. Qui etsi item imprimis discipulis destinati sunt, tamen latius publicum adeunto: «*Societati Latinae*» (Monacensi), quae Latinum pro lingua universali commendat, inservientes nullam aliam linguam melius quam Latinam ad commercium internationale idoneam esse demonstraturi sunt. Cum alia scripta declarent esse nihil recentius, quin Latine quoque bene exprimatur, his opusculis auctor Latine vertendo quodlibet carmen Germanicum nec sententiã nec sensu nec sonu imminui ostendere vult. Sive referens ut Schilleri «*Pugna draconis*», sive artificiosum ut Goethei «*Tiro magicus*», sive aestuosum ut Buergeri «*Venator furiosus*», sive simplex ut Voglii «*Cognitio*»



Ferrivia funicularis sciatorum (pag. 125).

carmen Germanicum ob linguam Latinae facilitatem versione paene adaequatur.

Neque tamen fictum, sed integrum Latinum est, quale secundum leges grammaticas in scholis docetur, quin etiam auctor licentiã, quae poetis antiquis in re grammatica erat, numquam fere usus est nisi in collocatione verborum. Versus quidem recentissimã ratione composuit: metra antiqua non invenies, sed ut in Germanicis exemplis syllabae sonu elatae et pressae certo modo invicem succedunt itemque par versuum exitus conservatus est. Rarissime tantum sive primus pes («*quaré, ió*») sive ultimus (in viã, haúd secús) liberius est tractatus.

Quae cum ita sint, auctor carminibus Germanicis obtrectat minime, praesertim cum in animum induxerit, ut etiam alienigenis per sermonem Latinum gemmas Germanicae poesis proponat eosque adducat, ut poematibus Germanicis operam navent. Quem finem, quamvis nunc fortasse longius absit, tamen attingi posse auctor ostendisse videtur; et profecto in ephemeride nostra Goethei «*Alborum regem*» iam publicavimus (Sept. 1936.). Nunc autem Praefationem edendo demonstrare volubilitatem carminum Ottonis Schmied volumus.

Praefatio.

*Latinam linguam mortuam —
Quis nescit hanc sententiam?
Quam esse rectam minime
Id volo nunc ostendere.*

*Nam carmina Germanica,
Quae tibi sunt notissima,
Latine versa invenis
In hisce tu fasciculis.*

*Latina sunt vocabula,
Sed metra sunt Germanica:
Eandem formam versuum,
Eundem vides exitum.¹*

*Et est in pari numero²
Ad verbum fere versio:
At tamen nihil pretii
Est demptum cuiquam carmini.*

*Sic hi libelli evolent,
Amicos sibi comparent!
Latinae linguae laus addatur,
Germanicae ne minuatur!*

Magistris linguae Latinae, qui libellos «*In veste Latina*» inscriptos discipulis suis commendaturi sunt, singula exemplaria optantibus aedes editrices gratuito mittent.

¹ i. e. versuum ² numerus = pes metricus.

Hypatia.

(25.)

Scripsit C. Kingsley. Hungarice reddidit A. Zigány. Excerpsit atque in Latinum convertit: Valentinus Fehér (Strigonii).

— Age! — praecipit aurigae¹⁶ Hypatia. Aethiops percussit equos, qui flagello¹⁷ non assueti ingenti saltu subsilientes ita currum abripuerunt, ut Philammo paene protereretur.¹⁸ Adolescens maximo clamore post eos cucurrit, sed iam sero venit.

Turba fanatica ex angiportu¹⁹ feroci clamore provolans currum circumstetit et Hypatiam deripuit. Misera virgo momento temporis evanuit in tumultu: in basilicam Clementis rapta est. In altaribus ex ingenti cruce Filius Dei mitis in rem cruentam despiciebat. Hypatia paulisper e manibus carnificum²⁰ elapsa²¹ contemptim aspiciebat turbam ululantem, quae sanguinem ipsius sitiebat. Uno saltu adfuit in gradu altarium et aureos crines dissolutos unã manu continens, alterã Christum ostendens

¹⁶ kocsis = Kutscher = cocher ¹⁷ ostor = Peitsche = fouet ¹⁸ elgázolni = niedertreten = écraser ¹⁹ mellékutca = Nebengässchen = rue de traverse ²⁰ hóhér = Henker (sknecht) = bourreau ²¹ kiszökni = entschlüpfen = s'échapper

homines furentes moderationis²² admonere videbatur. Qui propius stabant, obstupuerunt; dein ferociter clamor effrenatus²³ exsonuit: «Percutite Dianam paganam! Discerpite eam articulatim!²⁴»

Tum Petrus Lector exsilit e turba et pugionem longum e veste eductum capulo tenus²⁵ in Hypatiae pectus infigit. Philammo vidit sanguinem erumpentem, vidit titubare Hypatiam, audivit suppressam²⁶ miserae puellae quiritationem,²⁷ dein obtorpuisset.²⁸ Multo post cum ex animi defectione²⁹ emersus esset,³⁰ templum iam vacuum erat. Adolescens levato corpore titubans exiit in plateam, sed adeo infirmus erat, ut in gradibus sedere cogeretur. — «Hocine est ergo regnum Dei?» — exsonat ante eum vox rauca.³¹

Philammo cum oculos levasset, Eudaemonem ostiarium cognovit. — «Hoc est ergo regnum Dei? — iterat ianitor dentibus fren dens.

— Non, Eudaemo: hoc est regnum satanae — respondet Philammo.

IX. Vindicta.

Cum Pelagia ex Amalrici Vulfii colloquio, quod casu audierat, cognovisset Hypatiam Amalrico esse destinatum,¹ manus sibi inferre² decrevit. Quare ascendit in secundam contignationem,³ ubi Amalricus habitabat. Gladium de pariete demptum e vagina⁴ eduxit et ferrum latum frigidumque deosculata est. Dein ense ad spondam⁵ alligato lectum ascendit, ut ferro incumberet. Tum Amalricus venit ad ianuam, quam cum clausam invenisset, ictu pugni⁶ refregit: «Quid hic, Pelagia, paratur?»

— Tu rex eris — ait puella singultans. — Uxorem duces Hypatiam.

— Hypatiam? iam enim mortua est. Semihora est, cum a carnificibus Cyrilli discerpta est. Ubi est meus gladius? Ah, Odine, tuam fidem! Quis hunc ad spondam deligavit? An mori voluisti?

— Ut ne tibi obsim.⁸


— Exin apud me eris, virgo generosa — inquit Amalricus — neque unquam te deseram. Sed nunc ascende in turrin: ibi non tibi periculum impendet.

*

Finis sequetur.

²² mérséklet = Mässigung = retenue, modération
²³ féktelen = zügellos = déchainé ²⁴ darabokra = Stück für Stück = en pièces ²⁵ markolatig = bis zum Griff = jusqu'à la poignée ²⁶ halk = leise = amorti
²⁷ sikoly = Geschrei = cri ²⁸ elkábulni = die Besinnung verlieren = être étourdi ²⁹ ájulás = Ohnmacht = défaillance ³⁰ felocsúdni = zu sich kommen = reprendre connaissance ³¹ rekedt = heiser = rauque

¹ szánni = ausersehen = destiner ² öngyilkosságot elkövetni = sich umbringen = se suicider ³ emelet = Stock = étage ⁴ hüvely = Degenscheide = fourreau ⁵ ágyaláb = Bettgestell = chálit ⁶ ököl = Faust = poing ⁷ Odin (germán isten) szent nevére! = getreuer Gott, Odin! = par le nom d'Odin ⁸ útjában lenni = hinderlich sein, im Wege sein = être encombrant



Censor aenigmatum: Otto Schmied Vindobonensis.

Solutiones aenigmatum numeri VI.

1. Cum te aliquis laudat, iudex tuus esse mento!

2. mus, sum. 3. medica-mentum.

numeri VII.

1. Cicero, Elissa, ao, sex, ut, Rhesus, ursula, eas, vapor, diu, una, rue, misi, rota, sus, sub, genu, Iaso, ast, tsr, Lar, Utica, ale, Larisa, amator, ab, lis, io, sitire, antrum; cereum, caesus, Eos, Ossa, exuo, ius, studeo, alauda, ha, uva, rrr, LI, par, Nisus, Urbis, ire, tus, gallus, narrat, abi, arator, operam, tus, tam, aa, tale, casa, LV, ibi, ait.

2. Austria erit in orbe ultima.

3. hortus, portus, tortus.

4. crux: in hoc signo vinces.

5. hostis, umerus, nobile, gloria, aestas, regnum, iustus animus: Hungaria.

Aenigmata recte dissolverunt: Anna et Susanna Büchler VI., Editha Bátor VII., Irene Lenkei VII. (*Theresianum*), Ludovicus Szöllösy VI. (gymn. IPEA), Eva Lénárt VI., Olga Kunczer VI—VII. (*Veresianum*), Ioannes Wolkóber VI—VII. (*Madáchianum*), Iosephus Cserépy VII. (*Werböczianum*) *Budapestinenses*. — Stephanus Okolicsányi *Agriensis*, Ladislav Bubnó, Theodorus Hossza, Tihamerus Komjáthy *Miskolcienses*, Barnabas Zsigmond *Szeghalomensis*, Bela Próbáld *Aegopolitanus*, Andreas Uskert *Tatanus*, Paulus Fehér *Váciensis*, Lad. Tóth, Ios. Kada, Steph. Róka *Szegedinenses*, Em. Rácz, Aem. Pálfi, Al. Erős *Debrecinenses*, Ad. Kohár, Fr. Tomori *Strigonienses*. — Prof. Guilelmus Fieber dr., Ioannes Klamper, Ericus Günther *Vindobonenses* (in Austria), dr. med. Carolus Flesch *Reichenavensis* (in Germania).

Praemium sorte Ioanni Klamper, Andreae Uskert, Ioanni Wolkóber et Tihamero Komjáthy obvenit.

1. Logogriphus.*

Bonus «P» servavit gregem saepenumero,
Sed «C» praebet feminae ornatum umero.

Guilelmus Fieber Vindobonensis.

2. Palindromus.*

Quod diffluens sudore
In arvis agito,
Tu retro facito,
Ut meo e labore
Iuvante Creatore
Sit panis populo!

Joannes Hickmann Vindobonensis.

3. Ad saltum equulei.

	ne	sed	
con	ma	au	ce
Tu	!	or	lis
i	tra	de	den
	ti	to	

Helena Tüdös disc. VII. cl. Szeghalomensis.

4. Verbum Vergilii nonnumquam laudatum.*
(numeris.)

1, 2, 3—4, 5, 6, 7, 1, 3, 8, 9—2, 5, 10,
11, 12—8, 13, 2, 14, 11, 15, 6, 16.

vocabularia auxiliaria :

1, 3, 4, 5, 1, 3, 1, 9 Interdum valens: maxime,
13, 2, 11, 14, 1, 12, 11, 9 Sed hi sunt caeli incolae.
8, 7, 6, 5 Iam non est in virginibus.
8, 5, 2, 16, 8, 9 E stellis est errantibus.
15, 2, 8, 10, 11, 12 Quid sentit, cui quis id donavit,
Quod sibi pridem iam optavit.

Susanna Büchler disc. Theres. Budap.

* Stellula apposita indicatur aenigma a censore aenigmatico mutatum vel in versus redactum esse. Nam aenigma ut non solum recte, sed etiam aliqua cum arte sit compositum, suprema esto lex!

Terminus solutionum ad moderatorem mittendarum Cal. Maiae.

Solutiones aenigmatum sumptibus comparcendi causā singulis in scholis a magistro collectae in eodem involucro epistolae ad moderatorem mitti possunt.

Epistolia censoris aenigmatum. I. Klein, G. Mondl. Singula e vestris aenigmatibus proxime prodibunt.



Corrigenda numeri 7. (Mart.) : pag. 101 : pro : «dugens» lege : ingens ; pag. 107 : pro : «ad cum missis» lege : ad eum missis ; pag. 112 : pro : «ho, in, le» (aenigma 5.) lege : ho, iu, le.

Lectoribus sociisque, qui die lustrico Josephi festisque Paschalibus in moderatorem fausta omnia congerendo gratum fecerunt, maximas ille agit gratias pollicens se etiam maiore nisi rei latinitatis inservituro esse. — Res modernae in omnibus manuscriptis ita corriguntur, sicut in «Vocabulario rerum modernarum hungarico-latino» moderatoris constitutae sunt. Aliter enim non efficere possumus, ut latinitas nostra ab omnibus exterarum gentium latinantibus intelligatur. Quare Hungaris latine scribentibus iterum commendatur, ut hoc vocabulario utantur. Administrator noster, *Al. Regényi* (Budapest, VII., Barcsay-utca 5.) lectoribus nostris — pretio minuto — 2 pengoe praesolventibus librum rectā viā transmittit. — Ex carminibus, quae fere quotidie accipimus, manifestum fit plurimis versificantibus non prosodiam, neque leges metricas curae esse. Quamquam — ut Horatius putat — «pictoribus atque poetis quidlibet audendi semper fuit aequa potestas», tamen moderator persaepe in augustias ducitur : carmen statim repudiare non vult, ne carminis translatori (vel auctori) tristitiam afferat, corrigere autem conans, ut poetastro cupiditatem latinitatis augeat, non potest. Quare omnibus, qui carmina latine reddere (vel scribere) volunt, perimpense commendatur anthologia balladarum Ottonis Schmied «In veste Latina» (vide recensio-nem : pag. 125.), quam «nocturnā versate manu, versate diurnā.» — Sunt, qui obliviscentes ephemeridem nostram non hominum maturae aetatis, sed *iuventutis* causā edi, tam longos aut difficiles commentarios conscribant, quos discipuli neque intelligere possint, nec legere velint. *Collegae permulti* moderatorem saepe monent, ne difficultates cumulando iuventutem deterreat. Quare oro obsecroque omnes, ut dissertationes longas aut iuventuti difficiles ad moderatorem *Almae Romae* aut *Societatis Latinae* mittant, nam etiam abiturientes non nisi talia legendo delectantur, quae celeriter intelligunt, qualia sunt iocosa, salse dicta, narrationes praesertim romanticae, nuntii, gymnica, aenigmata faciliora, etc. — *I. Wolköber*. Cur non latine epistolam scripsisti, sicut Anna Mayer, Ios. Cserépy aliique multi discipuli? Tu oblivisci videris aenigmata publicanda a censore aenigmatum eligi et corrigi. Noli igitur impatienter urgere, sed etiam quod ad praemia solutionum attinet, consolare te proverbio : «Hodie mihi, cras tibi!» — Ceteris proxime respondebo aut privatas litteras dabo.

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-scholarium Catholicorum. — A Katholikus Középiskolai Tanáregyesület költségen.

(Praeses : DR. IOANNES KISPARTI, elnök.)